



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XX. Ioannis Papae VIII. Ad Vrsvm Dvcem Venetiarvm. Gratias agit,
quod apostolicae sedis monitis paruerit. Episcopos ad Synodus venire
iubet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

venturum , vt coram posito fratre nostro Petro sanctæ
Gradensis metropolitano antistite, vna cum episcopis qui
degunt sub ipso, facta super te discussione, rumor longe la-
teque respersus, aut innoxius patefactus absoluere tur, aut
comprobatus noxius damnaretur, venire modis omnibus
constituimus. Vnde merito a nobis fores damnandus, nisi
erga te, petente nobis dilecto nobis Vrso glorioso duce,
minus seueritate quam patientia uteremur. Verum quia
eatenus non venisti, excommunicatum te iure a nobis es-
se cognosceres, in promptu habentibus, secundum Apo-
stolum, vlcisci omnem inobedientiam: verum quia nec sic ^{2. Cor. 10.}
interim contempti salutem tuam contemnimus, vnde ter-
tia ecce te vice vocamus, & Idibus Februariis præsentis
decimæ indictionis nostro Concilio Romæ adesse manda-
mus: ita vt si tunc non occurreris, tamdiu sis cum fauen-
tibus tibi deinceps a nobis & a toto Christi corpore alien-
nus, quamdiu minus resipiscens, obedientiæ nequaquam
iussis nostris colla summiseris. Porro, si in hac indisciplina-
tione permanseris, noueris deinceps tibi veniam denegan-
dam, & secundum sanctos Canones nil de absentia peni-
tus lucraturum, & non solum communionis, sed & hono-
ris iacturam anathemate perculsum sine fine passurum.
Data Kalendas Decembris, indictione decima.

E P I S T O L A XX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD V R S V M D V C E M V E N E T I A R V M.

Gratias agit, quod apostolicæ sedis monitis paruerit.

Episcopos ad Synodus venire iubet.

Ioannes glorioso duci Venetiarum.

GRATIAS gloriæ tuae pro benigna deuotione tua refe-
rimus, quam non solum verbis, sed & operibus erga
nos studiose declaras, & frequenter ostendis: & ideo nos
paterno circa te detinemur affectu; & in his quæ ad tuam
tuorumque pertinere ac prodesse vtilitatem cognosci-
mus, prompti & benigni semper esse curabimus: ita vt in
diuinis præceptis, sacrificisque Canonibus impedire inten-
tionem & sanctiōnem nostram nunquam consentias: sed
cum tibi de rebus ecclesiasticis quidquam iniungimus, si-

Concil. Tom. 24.

D

sicut deuotus filius nos obaudias, & adimplere quæ dirigi-
mus, alacri semper animo studeas: quoniam nos tanto in
causis tuis, & vbi tibi opportunitas fortassis euenerit, prô-
ptiores tecum nos esse, ac benigniores inuenies, quan-
to te nos nolle a mandatis Dei aliquo modo auertere ma-
nifestius viderimus. Nam tibi, carissime, tamquam fami-
liari nostro familiariter scribimus: quia nullius mortalis
Math. 10.
amorem præponere Dei iustitiae possumus, qui nimur
euangelium legimus, dicens: *Qui amat patrem aut matrem
plusquam me, non est me dignus.* Veniant igitur episcopi ad
Synodum nostram, vt ipsis nobis rei veritatem significan-
tibus, causam fratris & coepiscopi nostri Petri illis præ-
sentibus facilius diffinire valeamus. Is vero qui valida in-
firmitate vel sene&tute grauatur, si villo modo venire non
potest, vicarium pro se strenuum mittat. Ille vero qui
Constantinopolim ire refertur, si nondum abiit, nec abire
eis Februarium mensē speratur, ab hac communi vtili-
tate nullo modo se subtrahat; sed veniens veniat, vt omni
litigio terminato, in ecclesia Dei non nisi pax & tranqui-
llitas perseueret. Optamus gloriam tuam semper bene va-
lere. Data viii. Kalendas Decembris, indictione x.

EPISTOLA XXI.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM IMPERATOREM.

Narrat calamitates ecclesiæ illatas a Saracenis, & impera-
torem precatur vt auxilium aduersus eos mittat.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

QVANTA & qualia per impiam gentem patiamur Sa-
racenorum, quid dicam quia scribere quilibet stylus
non sufficit, cum omnia ligna filiarum, si vertantur in lin-
guas, enarrare non valeant? Quorum quia ex his quædam
vestra iam didicit excellentia, prædisposuit exercitum
suum ad hæc remouenda cum valida manu dirigere. Quo
nos auditio, mox eleuatis manibus Dominum collaudauim-
us, eiusque clementiam pro imperio vestro lœtantes
protinus exorauimus. Sed quanto, fili carissime, lœtati su-
mus in his quæ dicta sunt nobis, tanto heu tristati & ama-
ricati, quia quæ dicta sunt, rerum non sunt effectibus